



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

24 [i.e. 23]. Aditus Rhodij ad Regem Tunch.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

significationem vocabuli, molis amplitudine non æquarent; earum vexilla numero, picturis, auróque fulgentia; remigum pileus elegantissimæ venustatis, vestiaria tessera splendida, Regiam denique ad sponsum iurasses; non Regem in hostes vehere. Pone classem trecentum nauigia, (quingenta numerant alij) vrbicas Regis ferebant sarcinas, & feminarium onus, & impedimenta omnis generis tam multa vt videretur aulam Rex cum tota regia secum aliò transferre. Incessus tamen ordo ex arte digestas probèque consultus, antecibat velitum acies, post hanc media & robur exercitus, in quo Rex triremibus septus viginti-quatuor, omnium optimis, & munitissimis: claudebat agmen postrema acies, cum impedimentis, comiteatu & sarcinis procedebantque naues in versum quinæ: tam æquatis ad remum frontibus, vt rostrum alterius, palmo altera non præteret. Hic de Patrum aduentu, & Lusitanorum Rex monitus, duabus accitos triremibus, è sua Prætoria, conspectu salutauit, laudauit præstitam superioris anni fidem, de suo reddito; opratos sibi & gratos adesse confirmauit; ventum ad dona quibus nunquam fas est in accessu ad Regem parcere. Visâque sunt parum expectationi respondisse quæ ad illum miserant Macaenses, leui solum aspectu illa dignatus est; vertitque mox oculos ad ea quæ Patres attulerant, horologium rotatum, & arenarium, quæ illi nouitas vtriusque, & improuisus alterius sonus, fecit aliquantò gratiores; exin sequi se iussit Lusitanis, & Patribus, secundo flamine in mare subijt, octauoque post die, ad Timphæ radices substitit; vnius ex eius arcibus in Prouincia Tignoâ. Inde montem conscendit præruptum ad sacrificandum simulachro, quod in eius supercilio colebatur, vt emereret ab eo, eiusque vnâ Sacerdote ac templi Custode Bonzio (Tunchinensium lingua Saio) opinione omnium viro sancto, præceptam animo, de hoste victoriam, quæ ipsi præpostero Bonzj & idoli miraculo contigit, in hunc modum vt illac probrosè delusus remitteretur iter, vtraque ex acie terrestri, & nauali triremes, & milites reducens quibus nihil ad pugnam præter animum: dum factis tam bellè ac litato perfunctus terrestrem exercitum triduo præstolatur, venere in mentem Lusitani, de illorum requiritat mercibus, & præflorat quæcumque gratius in iis oculis morabantur, non tanquam venalia sed sua; nulla pretij mentione. Inter eadem illas moras, inexpectata superuenit à Lai Rege confini legatio, (etsi regno vtrique interiacet, longè vastissima soli emortui solitudo) inter alia dona, elephantés duos in præsentem belli mitrebat vsu, mole ac viribus insignes & ad omnem pugnæ disciplinam eruditissimos. Placuit Regi probare quid possent. Sed alter mutato in decretorium ludicro extra campum erumpit qui ad batuendum descriptus bestiis fuerat, & barritu immani exterrens vniuersos, qua confertissimi spectabant illuc impetum facit cunctisque tumultuario hac illac dissilientibus, duos timor præpropetus & cæcus ex crepidine in qua stabant egit in subiecta præcipites vbi pro mortuis relictis iacuerunt.

T. I. I. 2.

241  
Aditus Rhodij ad Regem Tunchi.